iecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis rex : et (2. *Machab.* 7) unus ex septem fratribus ad Antiochum dixit: *Tu autem ne existimes, tibi impune futurum, quod contra Deum pugnare tentaveris.* Deinde Ionam fugientem in Tharsis, et divino praecepto inobedientem, nec aqua, nec aer, nec navis potuit ferre, sed in profundum maris eum proiecit. Quid dicam de inobedientibus, qui adversus praelatorum iussiones obmurmurant? Aaron, et Maria eius soror, quia murmuraverunt contra Moysem, graviter a Domino reprehensi sunt, et mulier, quae procacius peccaverat, lepra percussa est: *Ecce Maria apparuit candens lepra, quasi nix* (*Num.*12). Populus postmodum murmuravit contra Moysem, in cuius delicti poenam misit Dominus in eum ignitos serpentes, a quibus partim sunt vulnerati, partim occisi. Atque hinc est, quod David cavens ne a Deo puniretur, quia partem clamydis regis Saulis abscidisset, valde poenituit, sacra Scriptura dicente (1. *Reg.* 24): *David percussit cor suum, eo quod abscidisset oram clamydis Saul: non enim debuerat mittere manum in Christum Domini, et principem populi.* Hunc locum Summus Pontifex Nicolaus Primus (*epistola ad Michaelem Imperat.*), ut habetur (*tertio tomo Concil. de Praelatis*) moraliter interpretatur: *Facta quippe praepositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum recte reprehendenda iudicantur. Si quando vero contra eos, vel in minimis lingua labitur, necesse est, ut per afflictionem poenitentiae cor prematur, quatenus ad semetipsum redeat, et cum propositae potestati deliquerit, eius contra se iudicium, a quo sibi praelata est perhorrescat. Ideo ergo praelati cum magna reverentia tractandi sunt, nec eorum sunt mores, aut vita taxanda, quia cum Dei locum teneant, eiusque personam referant, ipse sibi iniuriam irrogatam deputat, quam in praelatos factam considerat.* Ubi observatione dignum esse reor, quod Deus vocat praelatos, et praecipue ecclesiasticos, ut illos Deum repraesentare intelligamus, atque adeo inobedientiam, et iniuriam illis irrogatam ipsi Deo irrogari sciamus, ut luculenter docuit Samuel 1.*Reg.*5), dum idololatriae inobedientiam comparavit, dicens: *Quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriae nolle acquiescere.* Sed dicet quispiam: ariolandi peccatum religionis virtuti opponitur, et idololatriae scelus fidei adversatur: quare igitur inobedientia cum his peccatis confertur; certe, ut intelligamus, eam in Deum ipsum per praelatos iubentem refundi, et quasi peccatum ariolandi esse, quia Deo in praepositis debitam venerationem tollit, et quodammodo fidei meritum praeripit. Divus Gregorius (35. *Moral. cap.* 10) dicit: *Ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta sit virtus obedientiae demonstretur : ex adverso enim melius ostenditur, quid de eius laude sentiatur. Si enim quasi peccatum ariolandi est, repugnare, et quasi scelus idololatriae, nolle acquiescere, sola obedientia est, quae fidei meritum possidet, sine qua quisque infidelis convincitur, etsi fidelis esse videatur.* Ego autem puto, ea etiam ratione, inobedientiam idololatriae comparari, quia dum omnis inobediens, ut suae propriae voluntati obsecundet, superioris praecepto repugnat, seipsum colit, suamque voluntatem adorat. Sed nec silentio praeterire licet sapientem observationem divi Bernardi (*tractat. de praecept. et dispens.*), ubi elucidans praedicta verba (*quasi scelus idololatriae nolle acquiescere*) haec habet: *Non ait, non acquiescere, sed nolle acquiescere, ut non iussionis simplex ipsa transgressio, sed voluntatis superbia, et contemptio, scelus idololatriae reputetur : non enim est idipsum nolle obedire, et non obedire. Hoc quippe interdum erroris est, nonnunquam, et infirmitatis; illud vero aut odiosae pertinaciae, aut contumaciae non ferendae.*

Ceterum, quia si omnia, et singula obedientiae praeconia, et utilitates prosequi vellem, in immensum abiret oratio, vela dicendi contraham, contentus solum selecta quaedam sanctorum Patrum testimonia, quibus multa praeclara de obedientia nobis tradidere, hic apponere. Sanctus Ephrem (*tract. de virt. cap. de obed.*) uni obedienti omnium virtutum exercitationem adscribit in haec verba: *Qui obediens est, omnibus gratus est, ab omnibus laudatur, et ab omnibus probatur; vir obediens cito exaltatur, et celeriter progressus magnos efficiet. Vir obediens praecipientibus non resistit, et iubentibus non adversatur, reprehensus non irascitur, ad omne opus bonum promptissimus est, ab iracundia non facile capitur: si reprehendatur, non commovetur : et si contumeliis afficiatur, nequaquam excandescit : in calamitatibus gaudet, et in tribulationibus Deo gratias agit, de loco in locum non transmigrat, et ex una in aliam mansionem non se transfert : admonitus non perturbatur, atque ordinatus ad locum, in eo manet, et taedio non afficitur: patrem non despicit, et fratrem nequaquam spernit, monasticae vitae rationem non carpit: recreationes, et otia fugit, ac locorum, aerisque amoenitates minime sectatur, sed secundum Apostolum, in qua vocatione vocatus est, in ea manet.* D. Gregorius quaedam in hoc genere argumenti scripsit, quibus multa obedientiae praeconia cum totidem utilissimis documentis ad obediendum coniuncta, nobis reliquit; praecipue tamen (*lib.* 2. *in* 1. *lib. Reg. cap.* 4) pueri Samuelis nocte ad Heli accurrentis obedientiam laudans, haec summa observatione digna verba profert: *Puer humiliter homini subiectus, atque obedientiae ardua vace sublimatus, dum vocatus accessit, iussus rediit : quid nobis exemplo praebet, nisi altissimae formam obedientiae? Vera namque obedientia, nec praepositorum intentionem discutit, nec praecepta discernit: quia qui omne vitae suae iudicium maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi praecipitur, operatur: nescit enim iudicare, quisquis perfecte didicerit obedire, quia hoc tantum bonum putat, si praeceptis obediat. Unicum bonum est ad recuperationem vitae, obedientia. Si inobedientiae culpa malum sufficiens fuit ad perpetrandam mortem, et in malo inobedientiae mors praevaluit, toties vitae reddimur, quoties obedimus. Puer itaque Samuel, nec vocatus, nec repulsus offenditur, quia vocantis, aut repellentis animum videre noluit, qui in hoc solo gaudere noverat, quod obedivit. Et quia surgere ad laborem, redire autem ad dormiendum pertinet ad quietem; quid insinuat, nisi quia utrumque nobis vitam praeparat, si obedientis animus in eo quod agit, non nisi obedientiae bonum pensat? Praeceptum namque in hoc solo pensari debet, quod maioris praeceptum est, et qui obedientiae bonum exequitur, non iniunctum opus debet considerare, sed fructum: quia ad promerenda aeternae vitae gaudia non exquiritur qualitas operis, sed mortificatio propriae, et exequutio alienae voluntatis. Iam ergo ad omnipotentem Deum, nec ea, quae ad laborem, nec ea, quae ad quietem pertinent, parva sunt, si aeternam vitam parare obedientibus possunt. Quisquis ergo alieno imperio subiectus est, hoc solum consideret, quia, quod sibi secundum Deum iniungitur, valde magnum, et excessum in lucro est menti, quod vitam praeparet in mercede retributionis; quo contra inobedientes aspiciat, quia primus parens pomi vetiti inobedientia corruit. Unde et apte colligitur, quia si parva, quae videntur, maiorum imperio contempto, ab internis gaudiis separant, etiam minima, quae perficiuntur, vitam parant. Operator itaque strenuus vitae socialis, et communiter se cum Deo servientium pius aemulator, si aeterni meriti ampliorem retributionem per obedientiae bonum adipisci desiderat, in hoc solo se cognoscat excellere, si prae ceteris arbitrio maioris propriam subdiderit voluntatem. Nam nec magna lucra ieiunii, nec asperae vitae studia devotis Christi militibus in maiorum praecepto, valde pensanda sunt; maioris etenim est meriti charitatis iniuncta refectio, ieiunio propria deliberane suscepto. Qui enim iussus carnem reficit, invitus ieiunii praemium devotione promeruit, et ampliorem mercedem obedientiae manducando conquisivit. Vocavit ergo Deus puerum, sed voce magistro simili, ut electus puer, qua humilitate obedientiae esset sublimis, ostenderet. Iterato excitat, ut eum, quem in forma electorum ponere volebat, ostenderet; quia nec imperiorum instantia fatigaret. Per eum, qui reprobandus erat, audire quemadmodum debuisset, didicit, ut perfecte sciamus, quam maiorum imperia tunc etiam veneranda sunt, cum ipsi laudabilem non habent vitam.* Divus Augustinus (*libro* 2. *de peccat. mer.*) quaedam alia praeclara valde in eodem genere argumenti tradit in haec verba: *Creavit Deus arborem scientiae boni, et mali in paradiso, ut ostenderet homini, cui esset sub tali Domino utilissima servitus, quantum esset solius obedientiae bonum; quam solam de famulo exegerat, cui obedire non propter servientis utilitatem potius expediret, ab eo ligno sunt prohibiti, quae si uterentur non prohibiti, nihil mali omnino paterentur, ut quod illo post prohibitionem utentes, passi sunt; satis ostenderetur, quod eis hoc non intulerit arbor cibo noxio perniciosa, sed tantum obedientia violata. Hanc ergo priusquam violassent, placebant Deo, et placebat eis Deus; et quamvis corpus animale gestarent, nihil tamen inobediens in illo adversum se moveri sentiebant : faciebat quippe hoc ordo iustitiae, ut quia eorum anima famulum corpus a Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illis corpus obediret, atque exhiberet eis congruum sine ulla resistentia famulatum. Quamdiu anima rationalis domina carnis, inobediens non extiterat Domino suo, nec ipsa reciproca inobedientem experta est carnem suam. At posteaquam illa est facta transgressio, et anima inobediens Deo extitit, habere coepit contra eam servus eius, hoc est, corpus eius, legem inobedientiae;* haec divus Augustinus, quibus aperte docet, eum qui desiderat carnem sibi obedire, et e contra spiritum non recalcitrare, nullum aptius medium ad id obtinendum apponere posse, quam ut ipse adversus divina praecepta non recalcitret, nec se ab obedientiae iugo subducens, mandatis Dei obtemperare contemnat, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IX.

In eadem Virginis verba: quodcunque dixerit vobis, facite, *de gradibus perfectae obedientiae disserimus, variis animi conceptionibus, et Sanctorum Patrum doctrinis argumentum hoc locupletantes.*

Cum beata Virgo proposita verba, *quodcunque dixerit vobis, facite*, ad ministros illius convivii direxit, facile mihi persuadeo, secundum mysticum sensum, ad religiosae vitae cultores praecipue pertinere, qui speciali voti obligatione ministri sunt divini cultus, et Dei famulatui mancipati; ad quos proinde spectat, exacte facere quaecunque Christus, et praelati vices eius gerentes eis dixerint. Et quamvis de hoc genere argumenti (*lib.* 8) nonnihil pertractaverim, verba tamen Virginis me compellunt, ut de illo latius disseram in praesenti, aliter vero praedictos coordinans obedientiae gradus, quam ibi oportet; tamen ad id prius ex sanctorum Patrum doctrinis, obedientiae naturam describere magnus pater Basilius (*serm. de instit. Mon.*) in hunc modum eam descripsit: *Vera, perfectaque subiectorum erga moderatorem ordinis obedientia in eo cernitur, si quis ex eius consilio non rebus modo flagitiosis abstineat, sed nec ea quidem, quae laudabilia sunt, sine sententia illius faciat.* Divus Thomas Aquinas (2. 2. *quaest.* 104. *art.* 2. *ad tertium*) sic ait: *Obedientia est, quae promptam reddit hominis voluntatem ad implendam voluntatem praecipientis.* Albertus Magnus (*in Parad. anim. cap.* 3): *Obedientia,* inquit, *ad vicarios Christi, scilicet ad praelatos est, cum subditus, quod sibi maxime contrarium est, fideliter, et libenter exequitur, nunquam manifestans signo, vel facto, quod sibi contrarium sit praeceptum.* Beatus Ioannes Climacus (*gradu* 4) pro suo more eam luculentius ita describit: *Obedientia est animae propriae perfecta abnegatio per corpus certius ostensa; aut forte versa vice: obedientia est inexaminatus, atque indiscussus motus, spontanea mors, vita curiositate carens, securum periculum, immediata*

ad Deum excursatio, metus mortis contemptio, tuta navigatio, confectum dormiendo iter. Obedientia est sepulcrum voluntatis, et excitatio humilitatis; hactenus ille. Sed et in hunc modum has omnes definitiones comprehendentes, coenobiticam obedientiam describere possumus: Religiosa obedientia est inferioris ad superiorem propter Deum voluntaria subiectio, voto constabilita. Subiectio, inquam, ut ille, qui recalcitrando, et contradicendo praeceptis Dei innocentiam perdidit, subiiciendo se Deo, et homini propter Deum, ad pristinam iustitiae, et innocentiae participationem revertatur. Est subiectio, ut per hanc inferior superiori, tanquam coelo colligatus, ab eius imperio, salutarem influxum, quo in bono promoveatur, accipiat. Est subiectio, ut qui superbiendo cecidit, se coram alio non superioris naturae, deiiciendo resurgat. Atque etiam est subiectio spontanea, sive voluntaria, quia in exordio suo non a natura processit, sed a Dei gratia, et a propria se subiiciens voluntate manavit.

His igitur iam obedientiae religiosae descriptionibus sic praelibatis, ad eius gradus enarrandos, et illustrandos gradum faciamus. Omnes illos ad septem revoco, quibus velut septem columnis, quas Dei Patris sapientia incarnata excidit, obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, monasticum aedificium praecipue fundatur, et nititur. Horum graduum religiosae obedientiae primus est, voto se adstringere in religione approbata ad obediendum praelato locum Dei tenenti. Olim in antiqua lege, ut legimus (*Exod.* 21), auris perforata signum, ac symbolum erat servitutis, et obedientiae: sic enim ait sacer Textus: *Si dixerit servus: diligo Dominum meum, et uxorem, ac liberos, non egrediar liber: offeret eum Dominus diis, et applicabitur ad ostium, et postes, perforabitque aurem eius subula: et erit ei servus in saeculum.* Hoc dictum altiore sensu religiosi viri est: ipse enim ait: diligo ego Dominum Deum meum, diligo religiosam vitam, quam in sponsam accepi: diligo filios, merita scilicet ex tam pulchra sponsa suscepta: malo in perpetuum servus Christi esse, quam liber saeculi. Qui ita loquutus fuerit, praelatis est offerendus, et auris eius perforanda, et quasi aperienda, ut per obedientiam maiorum praecepta suscipiat: conditioni enim servi adeo adiuncta est serviendi, et obediendi obligatio, ut qui hanc non habuerit, servus esse non possit: quae obligatio ad opus procedens, nos sanctos faciet, et ad eum finem, quem quaerimus, scilicet ad vitae innocentiam perducet. In cuius signum post restitutam prosperitatem sancto Iobo (*cap.* 42.): *Venerunt ad eum amici eius, et obtulerunt ei singuli ovem unam, et inaurem auream unam:* in ove accipe innocentiam, in inaure obedientiam. Quid itaque erit viro isti ovem, et inaurem offerre, nisi obedientiam, et innocentiam sorores esse patefacere? istudque esse huius loci mysterium Gregorius (5.*mor.c.*104) autumat, quod et optime exponit. Quare inauris aurea sit, et quare una inauris ab unoquoque amicorum offeratur: eius verba sunt: *Notandum vero est, quod hoc loco cum inaure ovis, et cum ove inauris offertur, quia nimirum innocuis mentibus, ornamentum semper obedientiae iungitur, Domino testante, qui ait: Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me. Beato igitur Iobo nemo inaurem sine ove, nemo ovem sine inaure obtulit: quia profecto Redemptori suo non obedit, qui innocens non est: et innocens esse non potest, qui obedire contemnit. Quia vero ipsa obedientia non servili metu, sed charitatis affectu servanda est, non terrore poenae, sed amore iustitiae, cuncti, qui ad convivium veniunt, auream inaurem obtulisse perhibentur, ut videlicet in ea quae exhibetur obedientia, charitas fulgeat; quae virtutes omnes quasi auri amore cetera metalla transcendit;* haec ille. Unitatem autem ovis, et unitatem inauris, quam ibidem sanctus Gregorius refert ad unitatem Ecclesiae, vel nos merito referre possumus ad congregationis religiosae unionem: quia obedientia non solum innocentiae coniungitur, sed ex ea unitas, et concordia congregationis exoritur. Ideo ergo ad id mystice significandum ovis una, et inauris una offerebatur.

Porro, illud etiam proprium est voti obedientiae, seu obedientiae voto confirmatae, quod per eam nititur homo angelorum, et coelestium civium obedientiam imitari, ad quam alludens Christus Dominus dixit (*Matth.* 6): *Fiat voluntas tua sicut in coelo, et in terra.* In hoc enim sensu divus Augustinus (*lib. de serm. Dom. in monte cap.* 11) verba ista explicat, dum ait: *Obediatur praeceptis tuis sicut ab angelis, qui sunt in coelo, ita ab hominibus, qui sunt in terra.* Manifestum autem est, angelos firmiter, et stabiliter obedire, adeo ut divinae voluntati reluctari non possint. Per votum ergo obedientiae disponitur verus obediens ad imitandam, quoad fieri potest, hanc angelicam firmitatem, et stabilitatem obedientiae, liberaturque ab ea maledictione (*Isai.* 48): *Scivi enim, quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua aenea:* nam certe obedientia protervitatem mentis tollit, iuxta illud (*Ecclesiast.* 33): *Iugum, et lorum curvant collum durum: et collum nostrum Dei, et maiorum praeceptis submittit.* Unde Sponsus videns collum hoc sponsae obedientiae monili decoratum dixit: *Collum tuum sicut monilia* (*Cant.*1); vel ut Origenes (*homil.* 2. *in Cant.*) vertit: *Cervix tua speciosa facta est, sicut redimicula;* quasi diceret: Cervix tua, quam prius praevaricationis inobedientia turpem fecerat, nunc obedientia legis speciosam fecit, et pulchram. Sed vulgatae lectioni insistens, collum tuum illud mirabile est, quod obedientiae votum, collum nostrum, simul mollificat, et obdurat, quamvis haec duo inter se videntur pugnare. Mollificat quidem subiectione, qua a praelato vir obediens in quamcunque partem moveri se sinit; obdurat vero fortitudine, et firmitate, qua imperata, tam a Deo, quam ab homine, licet ardua, ac difficilia, sustinet. Ad quod significandum idem Sponsus collum obedientis suae sponsae turri fortissimae, et munitissimae comparavit (*Cant.*4): *Sicut turris David, collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis.*

Secundus gradus obedientiae est, exequi, et implere, sive prava, sive magna, quae praecipiuntur, dummodo peccata non sint; quia tamen quae iubentur a praelatis, quaedam sunt gravia, alia levia, similiter et inobedientia gravis, aut levis erit; ut divus Bernardus (*de praec. et dispens.*) sapienter adnotavit contra eos, qui omnem inobedientiam perperam putant peccatum lethale: verba eius sunt haec: *Quamobrem non video, cur ita omnem inobedientiam, et transgressionem, vel minorum quorumlibet mandatorum exaggerandam putaveritis, ut exclamaretis: quod ergo iam monacho poterit veniale peccatum esse, vel leve, cuius universae actioni crimen insidiatur inobedientiae? Sed hoc inde videlicet constare creditis, quod praelatorum iussionibus tantum tribuendum asseritur, quantum si divinitus traderentur; quasi vero et ipsa evangelica praecepta non multum inter se discrepent, et merito observationis, et transgressionis periculo. Ceterum sicut non omnia unius esse constat, vel necessitatis, vel utilitatis, vel dignitatis; sic non una de omnium transgressione fertur sententia, nec paria manent discrimina dispares culpas; porro nec pari culpa negliguntur, quae non pari cura praecipiuntur, nec pari proinde poena puniuntur. Ecce enim Evangelium tam flagitium crapulae, quam fornicationis turpitudinem damnat, verum quis magis non horreat ex duobus malis turpitudine foedari, quam cibo saturari? Nonne denique veritas in Evangelio sub nominibus trabis, et festucae, graves, levesque discernit inobedientiae culpas? nonne ipso disputante, immo definiente gradatim nobis distinguitur, quae cuique reatui poena debeatur, dum alium iudicio, alium concilio, alium et gehenna reum esse protestatur? Quaenam ergo consequendi necessitas cogit, ut si magistris divina detur in suis praeceptis auctoritas, nullum ideo iam monacho leve, aut veniale peccatum inveniri posse putetur, et quod eius universae actioni crimen insidietur inobedientiae?* haec ille. Quocunque autem modo inobediens, sive graviter, sive leviter obedientiam offendat, praelati tamen iussionibus suam voluntatem non subdens, certe in eo, quod facere praetermittit, sui iuris efficitur, et infidelis promissor convincitur, immo fur, et latro rei magni valoris, quatenus voluntatis suae Deo consecratae usurpator efficitur, ut his verbis egregie docuit divus Bonaventura (*tract.de inter.hom.*): *Te praelato dedisti propter Dominum, et propter regnum coelorum, et iam non es tuus, sed eius, cui te vendidisti, et nihil tibi licet agere de te sine eius voluntate: ipse enim est dominus voluntatis tuae: et contrectatio rei alienae invito domino furtum est;* haec ille. Adverto tamen ad hunc secundum gradum obedientiae non solum pertinere, mandata exterius exequi, sed et interius non repugnare, nec praelati voluntati contradicere: id enim sibi volunt verba d.Pauli (*ad Coloss.* 3) dum ait: *Obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis.* Unde divus Anselmus (*in com.hui.loc.*) in hoc sensu exponit haec verba, inquiens: *Non in duplicitate servite dominis, sed ita, ut quod foris in opere ostenditur, intus in corde habeatis, timentes Dominum, qui inspector est cordium, et damnator dolosarum cogitationum.* Equidem illorum obedientiam, qui exterius tantum praecepta implent, interius vero recalcitrant, vocandam censeo obedientiam triremium, et remigantium, non religiosorum, quos oportet, ut suae professioni perfecte satisfaciant, animo, et opere praelati locum Dei tenentis mandata ad unguem exequi, et implere.

Tertius obedientiae gradus est, non solum quae praecipiuntur, sed et alia, quae iniunguntur absque praecepto, sed simplici quadam ordinatione exequi; ut enim d. Thom. (2.2.*q.* 126.*art.*9.*ad* 2) docuit: Eorum, quae continentur in regula, quaedam sunt praecepta, quaedam vero ordinationes obligantes ad poenam; et his verus obediens etiam parere debet Unde divus Bernardus (*de praec.et obl.*) praeclare dixit: *Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis, largiore voluntate fertur in altitudinem charitatis, et ad omne, quod iniungitur, spontanee vigore liberalis, alacrisque animi, modum non considerans in infinitam libertatem extenditur.* Exemplum huius nobis tradidit Salomon, dum verbis Domini absque praecepto obedivit: ut enim habetur (2.*Reg.*7) sciens dictum esse ab ipso Domino Davidi patri suo: *Suscitabo semen tuum post te,* idest, dabo tibi filium, *ipse aedificabit domum nomini meo.* Obtento iam regno, Domum illam magnificam in Dei honorem extruxit. Deinde Paulus, qui potens ex Evangelio vivere, sicut et ceteri Apostoli, ut magis se Dei voluntati summam perfectionem ab eo exigenti accommodaret, voluit sine ullius acceptione eleemosynae evangelizare; unde ait (1.*Cor.* 9): *Quis militat suis stipendiis unquam? Si alii potestatis vestrae participes sunt, quare non potius nos? sed non usi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi:* et postea (1.*Cor.* 9): *Si evangelizavero, non est mihi gloriae, necessitas enim mihi incumbit, veh autem mihi est: si evangelizavero, quae est ergo merces mea? ut evangelium praedicans sine sumptu ponam Evangelium Christi.* Ac tandem, discipulus dilectus Ioannes, audiens Dominum dicentem Petro (*Ioan.* 21): *Sequere me,* quod quamvis non praecipiebatur, gratum tamen Domino putabatur, est executus: quare Petrus videns illum sequentem interrogavit: *hic autem quid?* hic discipulus sequens non ad praeceptum, sed ad significationem Christi voluntatis sequens, eos carpit, qui semper volunt ad obediendum praeceptis urgeri. Hoc genus obedientiae videtur mihi laudasse Sapiens (*Prov.* 14) dum dixit: *Acceptus est regi minister intelligens,* hoc est, qui antequam praeceptum regis audiat, eius voluntatem agnoscit, ac facit. De hoc genere ministrorum dixit egregie d. Thomas (2. 2. *q.* 104): *Tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum praeceptum obediendo praevenit, voluntate superioris intellecta.* Quod si d.Paulus

(*ad Titum* 3) loquens de saecularibus ait: *Mone illos, principibus, et potestatibus subditos esse, et dicto obedire;* quasi diceret: hortare, ne tantum praecepto, sed etiam simplici dicto superiorem obediant: si, inquam, d. Paulus hoc genus obedientiae vult esse commune omnibus fidelibus, nemo sanae mentis diffitebitur, multum per omnem modum decere religiosos, quos oportet perfectiora charismata aemulari. Unde d. Bernard. (*ser. de virt. obed.*) dixit: *Certe fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, praeripit praecipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri: totum se colligit, ut imperantis faciat voluntatem:* et paulo ante dixerat: *Subditi esse et obedientes debemus ad nutum praepositorum, nihil interrogantes propter conscientiam, quia in his nullum praefixit opus Deus, sed praelatorum dereliquit imperio disponenda.* Quinimmo nec bonus obediens verbum expectat, ubi de superioris sibi constiterit voluntate. Illum autem optimum dixerim obedientiae gradum, cum eo animo opus iniunctum recipitur, quo et praecipitur, et cum ex voluntate iubentis pendet intentio exequentis.

Quartus gradus obedientiae est, ut non solum obediens substantiam operis externi faciat, sed et necessariis circumstantiis illud perficiat. Insignis Cancell. Parisiensis (*tract. de verb. Domin.*) has in obediendo circumstantias postulat: *Oportet*, inquit, *ut ipsa obedientia sit constans, sit vera, sit hilaris, sit affectuosa.* Constans illorum obedientia non est, qui ad ea, quae sibi placuerint, tantum obedire proponunt. Vera illorum obedientia non est, qui pro lucro, vel commodo temporali obediunt. Hilaris illorum obedientia non est, qui cum murmure, vel responsione, quae a praelato iubentur, perficiunt. Affectuosa illorum obedientia non est, qui etsi respondere non audent, rancorem tamen, et malevolentiam in pectore versant. Quia vero Patres alii plerasque alias circumstantias addunt, omnes eas percurram, ac breviter illustrare contendam. Prima circumstantia est, libenter obedire, cum Davide dicendo (*Psal.* 38): *Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo Domine.* Ille autem dicitur libenter obedire, qui sui cordis repugnantiam vincens, iniunctum sibi opus a praelato prompta voluntate perficit: ut enim dixit d. Bernardus (*de gradib. obed.*): *Omnis aetas ab adolescentia sua prona est ad malum, et unusquisque voluntatem pravi sui cordis sectatur. Ab illa enim prima praevaricationis angustia innatus est homini amor propriae voluntatis, quae voluntatem sui Creatoris relinquens ibi subdita est servire, ubi voluit dominari. Difficile ergo est, suam relinquere voluntatem, et alterius voluntati deservire.* Hanc tamen difficultatem superat verus obediens, prompta voluntate exercens, quod sibi iniungitur, quo non parum pulchritudinis in conspectu Dei anima eius comparat: sicut enim cum lutum obsequitur figulo, quasi vilitatem luti desinit, quia industria figuli illud in vas pulchrum, et dignum pretio convertit, ita dum voluntarie quisque Deo in suis praelatis subiicitur, habitaculi Deo pulchritudinem, ac decorem lucratur. Secunda circumstantia est, obedire cum simplicitate, hoc est, absque disquisitione quod iubetur perficere, ut enim docuit d. Basilius (*in Const. monas. c.* 23) interrogatio illa quare hoc, vel illud Superior praecipit, diaboli interrogatio est ad Evam dicentis (*Genes.* 3): *Cur praecepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?* Unde ibidem sanctus hic doctor duplici comparatione satis apta, altera ovis, altera instrumenti, simplicitatem hanc obedientiae explicat: quemadmodum enim oves suo pastori obtemperant, quamcumque ille vult viam ingredientes; sic veri obedientes, qui non ut vulpes duplicitatem amantes, sed simplices illae oves Christi sunt, de quibus ipse dixit (*Ioann.* 10): *Oves meae vocem meam audiunt*, nihil perscrutantes, praelatis suis obediunt: et quemadmodum faber singulis artis suae instrumentis pro arbitrio utitur suo, neque unquam contingit instrumentum repugnare usui, ad quem destinatur; ita obediens instar instrumenti, sinere se debet moveri ad quodcumque opus praelato eo uti placuerit. Tertia circumstantia est, hilariter obedire, iuxta illud Pauli (2. *Cor.* 9): *Non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus*, quod et prius mihi dixisse videtur (*Ecclesiast.* 35): *In omni dato hilarem fac vultum tuum*, atque ad hanc circumstantiam elucidandam notavit Richardus de s. Victore (*tract. de Sacrif. David, et Abrahae*), mirabile mysterium in eo latere, quod David bovem mactavit Deo: *Offeram tibi boves cum hircis* (*Psal.* 65); Abraham vero vaccam sacrificavit ex praecepto Dei dicentis (*Genes.* 15): *Sume mihi vaccam triennem;* mysterium autem in hoc delitescens his verbis ingeniose aperuit: *Videamus modo quid sibi velit hoc sacrificium Abrahae, vel in quo videtur ab illo iam dicto David sacrificio differre. Quid quaeso est, quod Dominus a summo patriarcha non bovem, sed vaccam quaerit? num quidnam in hoc genere hostiarum plus foeminam, quam masculum diligit? forte sic est: neque enim a tanto amico exigeret, quod minus ipse diligeret. Si mystice dicta mystica interpretatione discutiantur, puto palam fieri ratum inveniri, quod dicitur. Scimus de bove, quia iugum portare potest, lac autem dare non potest; contingit vero, vaccam utrumque facere, et lac dare, et Domini sui iugum portare. O quale sacrificium est obedientiae iugum humiliter portare, et inter quaelibet obedientiae ardua cordis dulcedinem per verba distillare. Multi cum dura sibi praecipiuntur, molestum quidem habent, nec tam dulciter, quam fortiter sustinent. Scimus autem, quia masculinus sexus plus quam foemininus fortior est, sed lac tamen dare non potest. Bovem itaque facit obedientia fortis; vaccam vero obedientia dulcis: bovem offerre, est obedire viriliter, vaccam offerre, est obedire gratanter: bovem offerimus, obediendo constanter, vaccam offerimus, obediendo gratulanter: caro bovina, obedientia robusta, caro vaccina, obedientia iucunda.* Quarto circumstantia perfectae obedientiae est velocitas. Hanc divina eloquia vobis suadent, Patrum auctoritas commendat, et Sanctorum exempla

docent. Iussus est Abraham immolare filium suum, et velocitatem eius obedientiae notat sacra Scriptura, dum ait (*Genes.* 22): *Exurgens mane stravit asinam suam, et adhibuit secum duos pueros, et Isaach filium suum.* David ad hanc velocitatem alludens (*Psalm.* 147) ait: *Qui emittit eloquium suum terrae: velociter currit sermo eius.* Quis autem non videat, quod sermo velociter currens sequentem se desiderat habere velocem? Olim quando agnus typicus manducabatur (*Exod.* 12), postulavit Dominus velocitatem in comestione illius: *Comedetis festinanter.* Cain (*Genes.* 4) praeceptum accepit a Domino immolandi ei munera de fructibus terrae; quia tamen velociter id non praestitit, sed tardavit, et moram fecit, repulsam accepit a Domino, quando illa obtulit: sic enim ait sacer textus: *Factum est post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terrae munera Domino:* super quae verba d. Ambrosius (*lib.* 2. *de Cain cap.* 7) ait: *Duplex culpa: una, quod post multos dies obtulit; altera, quod ex fructibus, non ex primis fructibus. Sacrificium autem et alacritate commendatur, et gratia.* Hanc eandem velocitatem postulavit Dominus a Zachaeo (*Luc.* 19), dum ei dixit: *Zachaeae, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Ille festinans descendit, et excepit Dominum gaudens.* Insuper etiam Dominus ei dixit: *Salus domui huic facta est.* Ubi observa, quod sicut Cain sua tarditate meruit in poenam Dei repulsam, ita Zachaeus sua velocitate salutem domus suae recepit in praemium: haec ex sacris literis; nonnulla modo ex Patribus subiiciam. S. Benedictus (*in sua regula c.* 5) huius velocitatis memor, inquit: *Mox ut aliquid imperatum a maiore fuerit, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciant in faciendo:* et iterum ait: *Haec ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, et dulcis hominibus, si quod iubetur, non tarde, non tepide fiat.* D. Bernardus (*de grad. obedient.*) ait: *Verba illa, quae per legem Dominus dedit, quae per semetipsum praesertim exhibuit, quaeque per Ecclesiae praepositos tradenda reliquit, veloci sunt obedientia consummanda.* Ut autem ad exempla nostralia veniamus, Cassianus (*de institut. cap.* 12) de velocitate in obediendo antiquorum monachorum sermonem instituens, ait: *Considentes intra cubilia sua, et operi, ac meditationi pariter intendentes, cum sonitum pulsantis ostium, ac diversorum cellulas percutientis audierint, ad orationem eos scilicet, seu ad opus invitantis, certatim a cubiculis suis unusquisque prorumpit; ita ut is, qui opus scriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoasse literam, finire non audeat; sed in eodem puncto, quo ad aures eius sonitus pulsantis advenerit, summa velocitate prosiliens, ne tantum quidem morae interponat, quantum coepti apicis consummet effigiem, sed imperfectam lineam literae derelinquens, non tam operis compendia, lucrave sectetur, quam obedientiae virtutem exequi toto studio, atque aemulatione festinet;* cui persimile est, quod Sylvanus Abbas (*in vitis Patrum*) apud Evagrium narrat, discipulum illum prae aliis dilexisse, nomine, Marcum, cuius tanta erat obedientia, ut a magistro vocatus, literam O mediam reliquerit, nec eam prae desiderio promptae obedientiae impleverit. Quinta circumstantia est fortitudo, et perseverantia in obediendo, iuxta illud regii vatis (*Psal.* 118): *Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* Unde et ipse David (*Psal.* 30) ad fortitudinem in obediendo nos exhortans: *Viriliter* inquit, *agite, et confortetur cor vestrum.* Cum hac tamen fortitudine coniungenda est perseverantia, cum certum sit non sufficere ad salutem, bene incipere: non enim dictum est (*Matth.* 24), qui coeperit, sed *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit:* quare divus Paulus (2. *ad Tim.* 4) dixit: *Cursum consummavi...in reliquo reposita est mihi corona iustitiae.* Certe sibi reposita non esset, si cursum tantum coepisset, et non perfecisset; ideo ipse (1. *Corinth.* 9) monet: *Sic currite, ut comprehendatis.*

Quintus gradus obedientiae est, ut non solum opus praeceptum impleatur, sed ut obediens omnino subiiciat, et conformet voluntatem suam cum voluntate praelati, ita ut nulla ratione dissentiat ab eo. Qui hoc modo obedit, verus aemulator est Christi, dicentis (*Ioan.* 6): *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Et quod valde mirandum est, non solum voluntati Patris, sed et suorum hostium, se voluntarie tradi permisit, (*Luc. cap.* 23) de praeside Pilato dicente, et asserente: *Tradidit eum voluntati eorum.* Quid ergo mirum, si nos voluntati praelatorum tradamus, cum ipse Dominus, et Redemptor noster voluntati suorum hostium pro nobis se dedit? Vult Deus veros obedientes esse instar columbarum: quia sicut illae ablatis propriis filiis non dolent, non requirunt, ut docet d. Hieronymus (*in cap.* 7. *Osee*), ita veri obedientes, quantumvis eorum praelatus ab eis auferat proprias voluntates, et appetitiones, oppositum eius, quod ipsi desiderabant, eis praecipiens, non conqueruntur, non obmurmurant, sed voluntati eius per omnia consentientes, et ad omnia difficilia mandata, quasi insensibiles se exhibentes, facti in hoc, sicut columba non habens cor, obediunt: ad quod respiciens d. Doroth. (*dieta* 1) ait: *Si liberari perfecte volumus, et ab hoc saeculo discedere, oderimus in primis voluntatem nostram, et sic brevi, divino praesidio ad impassibilitatem animi perveniemus.* D. Bernardus (*serm. ad stantes in cap.*) ad hoc genus perfectae obedientiae per resignationem voluntatis in voluntatem praelatorum fratres suos exhortans, inquit: *Porro quisquis, vel aperte, vel occulte satagit, ut quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis pater iniungat; ipse se seducit, si forte sibi, quasi de obedientia blandiatur. Neque enim in re ipse praelato, sed magis ei praelatus obedit:* et paulo inferius ait: *Heu plures habemus evangelici illius coeci, quam novi Apostoli invitatores. Quid vis, ait Dominus ad coecum illum, ut faciam tibi? quanta est miseratio tua, Domine, quanta dignatio tua. Siccine Dominus quaerit, ut servi faciat voluntatem? Vere coecus ille, quia non consideravit, non expavit, non exclamavit: absit hoc Domine, tu magis dic, quid me facere velis, sic enim de-*

cet, sic omnino dignum est, non meam a te, sed a me tuam quaeri, et fieri voluntatem. Videtis, fratres, quia vere necessaria erat hoc in loco conversio. Sic profecto, sic multorum usque hodie pusillanimitas, et perversitas exigit, ut ab eis quaeri oporteat: quid vis, ut faciam tibi? non ipsi quaerant: Domine, quid vis, me facere? Tandem Seraphicus noster Pater sanctus Franciscus exemplo corporis mortui perfectam hanc obedientiam declarabat. Cum enim quaereretur ab eo, ut auctor est sanctus doctor Bonaventura in vita eius, quis esset verus obediens iudicandus? corporis mortui similitudinem pro exemplo posuit. Tolle, inquit, corpus exanime, et ubi placuerit, pone: videbis, non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quod si statuatur in cathedra, non alta, sed ima respiciet: si collocetur in purpura, pallescet. Hic verus obediens, qui cur moveatur, non diiudicat, ubi locetur, non curat, ut transmutetur, non instat: evectus ad officium, solitam tenet humilitatem, plus honoratus, plus reputat se indignum. Qui ergo ita se habuerit, illa verba Christi sibi usurpare poterit (*Luc.* 2): *Non mea, sed tua fiat voluntas.*

Sextus perfectae obedientiae gradus est, cum subditus non solum voluntatem cum voluntate praelati, sed et intellectum, et iudicium proprium cum intellectu, et iudicio illius conformat, illud melius esse iudicans, quod melius superior censet. Circa hunc obedientiae gradum nulla magis selecta hic adscribenda censui, quam quae a Patribus traduntur. D. Chrysostomus (*hom.2.ad Rom.*), explicans verba illa (*cap.*1). *Nolo vos ignorare, fratres, quia saepe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc*, sinceram divi Pauli obedientiam ponderans, sic scribit: *Quod fuerit prohibitus, dicit; quamobrem autem, non item, neque enim examinat Domini mandatum, sed paret tantum; quamquam par erat haesitare, qua de causa urbem tam splendidam, tam magnam, et ad quam sese totius orbis oculi converterent, prohiberet Deus, quominus talem magistrum tanto iam tempore assequeretur. Siquidem quisquis imperantem, dominantemque urbem vicerit, his et subditos parvo negotio adorietur; at quisquis regaliore urbe missa, subditis subigendis insidias paraverit, idem caput se negligere ostendit. Sed tamen nihil horum Paulus curiose indagat, quin potius incomprehensibili providentiae cedit, partim animi sui moderationem spectatam faciens, partim nos omnes erudiens, a Deo numquam exigendam esse eorum, quae facit, rationem, etiamsi ea multorum animos turbare videantur: Domini enim solius est iubere, famulorum autem parere. Atque hac quidem de causa, quod prohibitus sit, dicit, non etiam quare sit prohibitus: neque enim, ego id scio, inquit, ne me igitur interrogetis, quaenam sit voluntas, aut scientia: nam neque figmentum opifici dicit: quid me sic finxisti? Qua igitur, obsecro, de causa id et tu scire elaboras? nescis illum omnium curam habere? illum sapientem esse? illum nihil frustra, nihil temere agere? illum te magis amare, quam proprii parentes ament? illum, vehementissime, ac longo quidem intervallo, et patris pietatem, et matris curam superare? Itaque nihil amplius pervestiges, neve ulterius progrediaris;* hactenus d. Chrysostomus. Nunc audiamus divum Bernardum (*de praecept.et dispensat. c.*13) haec praeclara proferentem: *Porro imperfecti cordis, et infirmae prorsus voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosius discutere, haerere ad singula, quae iniunguntur, exigere de quibuscumque rationem, et male suspicari de omni praecepto, cuius causa latuerit; nec unquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit, quod forte libuerit, aut quod non aliter licere, seu expedire monstraverit, vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Delicata satis, immo nimis molesta est huiuscemodi obedientia. Non plane haec illa est, quae ex regula traditur, obedientia sine mora, disputare profecto hoc est, in actu cordis, non in auditu auris obedire. Istiusmodi ergo carnalem animam non modo premi, sed etiam opprimi pondere praesumptae perfectionis necesse est, quia non potest portare caro infirma, quod solus spiritus promptus experitur, iugum esse suave, et onus leve. Christi quippe iugum et onus est, et omnino importabile, nisi Christi spiritu iuvetur:* haec ille, quibus adnecto quaedam alia pulchra valde b. Ignatii Loiolae (*in epis.obed.ad fratr.suos*), ubi in hunc modum loquitur: *Praeterea, nisi haec obedientia iudicii existat, fieri non potest, ut vel consensus voluntatis, vel executio talis sit qualem esse oportet. Natura enim ita comparatum est, ut animi nostri vires, quae appetitivae dicuntur, sequantur apprehensivas, et nisi adhibita vi voluntas iudicio repugnante diu obtemperare non poterit. Quod si forte quis aliquo temporis spatio obediat per communem illam apprehensionem, qua censetur perperam etiam praecipienti parendum esse, certe id stabile, ac fixum esse non potest, atque ita perseverantia defecit, vel saltem obedientiae perfectio, quae in prompte, vel alacriter obediendo consistit. Non enim ibi potest esse alacritas, ac diligentia, ubi est animorum, sententiarumque dissensio. Perit etiam exequendi studium, et celeritas, cum ambigitur, expediat nec ne facere, quod iubemur. Perit illa celebris obedientiae coecae simplicitas, cum cum apud nos ipsos in quaestionem vocamus, recte ne praecipiatur, an secus? atque etiam fortasse damnamus superiorem, cum ea mandet, quae nobis non ita iucunda sunt. Perit humilitas, quoniam etsi ex altera parte pareamus, ex altera tamen nosmetipsos superiori praeferimus. Perit in rebus arduis fortitudo, perit denique, ut summatim omnia complectar, virtutis huius vis omnis, ac dignitas; succedunt autem in eorum locum dolor, molestia, tarditas, lassitudo, obmurmurationes, excusationes, aliaque vitia non sane levia, quibus obedientiae pretium, ac meritum prorsus extinguitur;* hactenus b. Ignatius. Ex quibus omnibus colligo, illud religiosae vitae cultores ad iudicii obedientiam amplectendam valde incitare debere, quod qui eam non habet, onus gravissimum reputat, se mandatis aliorum subiicere. Quid enim gravius, quam actione praestare quae intellectus iudicat penitus non convenire? aut quid importabilius, quam illa facere, quae iudicamus non esse facienda, et illi parere, quem contemnimus, ipsumque decipi, et perperam iubere sentiamus? D. Paulus (2.*Cor.*11) dixit: *Timeo, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quae est in Christo.* Non dissimiliter valde ego pertimesco, ne quorumdam regularium vana ingenii subtilitas, et nimia solertia eos sicut serpens decipiat, et sensus eorum corrumpat, dum sub praetextu maioris scientiae in examinandos, et iudicandos praelatorum actus praecipites feruntur. Hi sane excidunt a simplicitate obedientiae Christi, matris Evae inobedientiam sectantes, quae curiose de mandatis divinis inquirebat; et ut mihi videtur, certe isti nondum plene in religiosam disciplinam sunt ingressi: cum enim duo sint, quasi pedes animae, quibus ad coelestia properatur, intellectus, atque voluntas, uno tantum proculdubio, scilicet voluntate, erit religiosus intra religionem, per quam praelati voluntati consentit; altero tamen pede, scilicet intellectu, manebit in saeculo. Unde sicut, tanquam portentum, iudicatum est (*Apoc.*10), quod angelus figeret pedem dexterum super mare, sinistrum autem super terram; ita instar prodigii, immo, et horrendi monstri censendus est religiosus, qui pede tantum voluntatis vitam religiosam, pede vero iudicii proprii vitam saecularem, qua se ipsum regit, et ducit, attingit.

Ultimus, ac supremus obedientiae gradus est, iuxta communem sanctorum Patrum doctrinam coeca quadam subiectione praelatorum iussa implere. Tunc autem coeca obedientia exercetur, cum quoties peccato manifeste non apparente, in eo, quod praecipitur, absque ulla prorsus disquisitione, sapienti quadam sinceritate statim obeditur. Hanc coecam obedientiam, quia multi calumniantur, oportet prius sanctorum Patrum monumentis, qui frequenter illam docuerunt, constabilire. Atque ut ab scholasticis doctoribus, qui rigorosius loqui solent, exordiar. D. Tho. (2.2.*q.* 13. *art.* 5.*ad tert.*) disputans, an quis posset aliquid impossibile faciendum eligere? ad idque attulisset regulam quandam sancti Benedicti dicentis, *tentandum esse, etiamsi quid impossibile praelatus iubeat*, haec verba habet: *Hoc ideo dicitur, quia, an aliquid sit possibile, subditus non debet suo iudicio definire; sed in unoquoque iudicio superioris stare.* Certe non potest magis coeca obedientia a subdito exigi, quam ut an sibi possibilia praecipiantur, non discutiat, nec videat, sed ea agere pro viribus contendat. Caesarius Arelatensis episcopus de obedientia haec habet: *Quicquid tibi a senioribus fuerit imperatum, accipe tanquam de coelo, sicut de ore Dei prolatum. Nihil reprehendas, nihil discutias, in nullo prorsus murmurare praesumas: totum sanctum, totum iustum et utile iudica, quicquid tibi a praelato videris imperari. Quonam modo haec implebit, qui non iudicium suum in eorum, quae imperantur, ratione, et inquisitione coecaverit;* et (*tract.* 8. *collat.* 3. *in sec. tom. opusc.*) haec tradit: *Obedientia debet esse prompta sine dilatione, devota sine dedignatione, voluntaria sine contradictione, simplex sine discussione, perseverans sine cessatione, ordinata sine deviatione, iucunda sine turbatione, strenua sine pusillanimitate, et universalis sine exceptione. Qualiter nos audimus nostros superiores, taliter nostras exaudit Deus orationes. Verbum illud, simplex sine discussione, ab obedientia oculos humanae prudentiae tollit, et prudentiam spiritus maiorum praecepta non discernentem docet.* Sanctus Hieronymus (*epist. tertia ad Rust.*) eandem coecam obedientiam in haec verba monet: *Praepositum monasterii timeas, ut dominum, diligas, ut parentem: credas salutare, quicquid ille praeceperit, nec de maiorum sententia iudices, cuius officii est obedire, et implere quae iussa sunt, dicente Moyse: audi Israel, et tace. Nihil autem aliud nos vocamus, coeca obedientia parere, nisi de maiorum sententia minime iudicare.* Cassianus (*libro quarto de instit. cap.* 41) ait: *Stultum te, secundum Apostoli sententiam facias in hoc mundo, ut sis sapiens; nihil scilicet discernens, nihil diiudicans ex his, quae tibi fuerint imperata: sed cum omni simplicitate, ac fide obedientiam semper exhibeas; illud tantummodo sanctum, illud utile, illud sapiens esse iudicans, quicquid tibi vel lex Dei, vel senioris examen indixerit. Tali enim institutione fundatus sub hoc disciplina poteris durare perpetuo, et de coenobio nullis tentationibus inimici, nullis facinoribus devolveris.* Humbertus (*epist. ad frat. de trib. vot.*) in hunc modum eos exhortatur: *Quapropter, dilectissimi, sitis sicut aurum ductile, et quasi virga flexilis, quae recta, et curva redditur ad libitum artificis. Sitis ut rotae volubiles, quae secundum impetum spiritus movebantur. Sitis, ut iumentum apud Deum, cuius dorso indifferenter quaelibet imponuntur:* et rursus: *Tam simplex sit obedientia vestra fratres, ut iniuncta sine discussione facientes, iudicetis de vestro nec in minimo vos habere: nam quisquis intentionem praecipientis iudicat, bellum intrinsecus parat: per hoc enim, quod causas mandatorum, quas ignorat, discutit, in labirinthum erroneum sese ponit;* haec ibi. Hugo (2.*de claust. animae cap.* 13) erudite satis de hoc argumenti genere disserens, inter alia haec profert: *Nec bonis obedies in malo, nec perversis contradices in bono. Filii Israel ausi sunt explorare terram, quam eis promiserat Dominus, et inde quid secutum est, nisi ut timerent ingredi eam? unde dixerunt: Nuntii terruerunt cor nostrum. Sic prorsus, si mandata Domini ore praelatorum exposita coeperis explorare, si rationes, et causas disquirere, si difficultatem meditari, vano timore perculsus, saepe ab opere tibi iniuncto desilies, et terram bonam, idest praemium labori iniuncto promissum, amittes. Signum magnum superbiae est ad omnia, quae praecipiuntur haerere, et ea velle trutina nostrae rationis expendere.*

Non solum autem verbo sancti Patres coecam docuere obedientiam, sed, quod magis interest, opere, et exemplo illam confirmarunt. Ut enim refert Cassianus (*lib.* 4. *cap.*24), quidam monachus, Ioannes nomine, ad praeceptum sui abbatis praecipientis illi, ut lignum siccum, quod ille fixit coram eo in terra, bis

quotidie rigaret adducta aqua e longissimo loco, ut diuturno humore reviresceret; ille per integrum annum aridum lignum rigavit, per multos alios rigaturus, nisi cessare iussus fuisset. Persimileque huic est, quod Sulpicius Severus narrat de quodam alio, qui idem praestans rigationis officium circa aridam virgulam, radices illa emisit, et fronduit; unde ille ait: *Ego ipsam ex illa virga arbusculam, quae hodie intra atrium monasterii est ramis virentibus vidi; quae quasi in testimonium manens, quantum obedientia meruit, ostendit.* Sed redeo ad Cassianum: narrat idem (*cap.* 25) de eodem Ioanne, quod cum senis vocem audisset, ut saxum quoddam ingens, et immane advolveret quantocitius, quod magna hominum turba movere non posset, ipse applicita nunc cervice, nunc pectore, tanto impetu illud movere conatus est, ut sudore omnium membrorum, non solum vestes, sed etiam saxum humectaret. (*Cap. autem* 26) commemorat de Mutio, quod cum proprium filium unicum, quem ad monasterium adduxerat, iussus fuisset ab abbate, probationis causa, ut in flumen proiiceret, confestim ille, tanquam si a Domino hoc sibi praeceptum fuisset, celeri cursu rapiens filium ulnis propriis, usque ad oram fluminis eum iactaturus adduxit. Prohibitus tamen a fratribus, reipsa non iactavit; adeoque haec coeca obedientia Deo placuit, ut seniori revelaret parem fuisse obedientiam illius obedientiae Abrahae. Narrat praeterea Sulpicius supra citatus, quod cum quidam abbas praeciperet subdito, ut fornacem ardentem ingrederetur, ille coeca quadam obedientia gravem illam difficultatem superante, medias flammas nihil cunctatus est ingredi; contigitque, Deo mirifice illam obedientiam approbante, ut flammarum ardor, sicut olim tribus pueris in camino ignis immissis, libenter cederet, nihilque nocumenti ei inferret. Mirabile est etiam id obedientiae exemplum, quod divus Gregorius (*lib.* 1. *Dial. cap.* 7) de beato Mauro, discipulo sancti Benedicti, commemorat: *Quadam vero die, dum idem venerabilis Benedictus in cella consisteret, praedictus Placidus puer sancti viri monachus, ad hauriendam de lacu aquam, egressus est, qui vas, quod tenuerat, in aquam incaute submittens, ipse cadendo quoque secutus est, quem mox unda rapuit; et pene ad unius sagittae cursum eum a terra introrsus traxit. Vir autem Dei, intra cellam positus, hoc protinus agnovit, et Maurum festine vocavit dicens: frater curre, quia puer ille, qui ad hauriendam aquam perrexerat, in lacum cecidit, iamque eum longius unda trahit. Res mira, et post Petrum Apostolum inusitata, benedictione etenim postulata, atque percepta, ad Patris sui imperium concitus perrexit Maurus: itaque usque ad eum locum, quo ab unda deducebatur puer, per terram se ire existimans, super aquam cucurrit, cumque per capillos tenens, cursu rapido rediit: qui mox, ut terram tetigit, ad se reversus, post tergum respexit, et quia super aquas cucurrisset agnovit, et quod praesumere non potuisset, ut fieret, miratus extimuit factum. Reversus itaque ad Patrem, rem gestam retulit. Vir autem venerabilis Benedictus hoc non suis meritis, sed illius obedientiae deputare coepit;* haec ille. Similia tradunt Dorothaeus (*doctrina prima*), Symeon Metaphrast. (*in vita sanctae Theodorae*), et Surius (*in vita sanctae Melaniae*), quae quia non aliter facta censeri debent, quam ex speciali aliquo Dei instinctu, non illa scribimus, tanquam temere imitanda, sed ut admiranda, et ut ea expendentes, ad coecam obedientiam, quae in omnibus paret, ubi manifeste peccatum non cernitur, invitemur, et impellamur, quicquid nonnulli adversus eam oblatrent.

Sed iam perge quaeso, ut coecae obedientiae encomia magis appareant ex sacris Scripturis, illam nervosius adhuc stabilire. Ego sane cultori illius ab Isaia dictum arbitror (*cap.* 50): *Qui ambulavit in tenebris, et non est lumen ei, speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum;* ac si dicat: qui magis tenebras coecae obedientiae quam humanae rationis lumen amat, speret, quod a Domino dirigetur, ne cadat. Ita praestitit magnus Pater Abraham, qui licet alioquin vocem Domini audivisset ei dicentem, per Isaach genus eius esse propagandum; nihilominus tamen, ubi mandatum accepit, ut illum occideret, continuo, absque ulla disquisitione, coeca obedientia divino obtemperans praecepto, mane surgens perrexit ad montem, ut filium immolaret. Ita etiam praestitit Samuel, qui, ut habetur (1. *Regum c.* 3), vocatus a Domino, putans tamen se a magistro suo Heli vocari, intempesta nocte a lecto surrexit, ter ad illum accessit, ter ab illo in lectum dimissus est. Ecce non dixit intra semetipsum: hic senex delirat, nunc me vocat, nunc remittit: vel quasi somnians, me accersit: nihil curabo de eius voce, sed usque ad auroram requiescam: nihil tale dixit, ut his verbis sapienter expendit divus Gregorius (*lib.* 2. *in cap.* 3. *Reg.*): *Puer humiliter homini subiectus, atque ardua obedientiae arce sublimatus, dum vocatus accessit, iussus rediit, quid aliud nobis hoc exemplo praebet, nisi altissimae formam obedientiae? Vera namque obedientia, nec praepositorum intentionem discutit, nec praecepta discernit: quia qui omne vitae suae iudicium maiori subdit, in hoc solo gaudet, si quod sibi praecipitur, operatur: nescit enim iudicare, quisquis perfecte didicerit obedire; quia hoc tantum bonum putat, si praeceptis obediat.* Immo, et hac obedientia coeca mihi videntur obedisse filii Israel (*Numer.* 9), cum ibant per desertum: eorum quippe oculi noctu, diuque in columnam nubis, et ignis, quae illos ductabat, coniiciebantur: prout enim illa quiescebat, aut locum mutabat, ita illi sese illius ductui accommodabant, unde dictum est: *Ad imperium Domini proficiscebantur, et erigebant tentoria, atque ad imperium illius deponebant:* ecce absque ulla haesitatione, aut disquisitione obediebant. Ad haec, quid de Osea propheta dicam, qui cum insigni sanctitate polleret, iussus a Deo, ad fornicariam foeminam accedere, ille coeca obedientia paruit, rationem tam inusitati praecepti curiose non expostulans. Quid de divo Paulo referam, qui postquam ad tertium coelum raptus, ubi, ut volunt divus Augustinus,

et sanctus Thomas, vidit clare Deum; iussus tamen ad Ananiam ire, ut ab eo edoceretur, quid facere deberet, continuo obedivit, non disquirens cur non illum docuisset Dominus in raptu, cum facile id praestare potuisset, sed ad Ananiam remitteret?

Ex his igitur omnibus clare liquet, quod sicut beatus Dionysius Areopagita frequenter in operibus suis de coelesti hierarchia, et de divinis nominibus, doctam quandam ignorantiam laudat, qua de Deo nihil affirmamus, nihil cognoscimus, quia illa dum ab eo conceptus limitatos rerum creatarum auferimus, sub docta caligine, ipsum illimitatum, et infinitum confitemur: ita similiter coeca obedientia a sanctis Patribus adstruitur, quae ad noxiam libertatem oculos non habens, ad id, quod oportet, lumen sapientiae possidet. Ad quod sane mirifice facit, quod refert sacra Scriptura (*Genes.* 2) de Adam, et Eva, qui cum nudi essent, non erubescebant: ecce coeci erant ad erubescendum, videntes tamen ad se absque pudore contuendum. Sed numquid sapientiores fuerunt quando, ut ait idem sacer textus, post praevaricationem *aperti sunt oculi amborum, et cognoverunt se nudos?* nemo sanae mentis id dicet. Potest igitur esse quaedam coecitas spiritualis, quae lumen afferat, sicut et quaedam est ignorantia, quae garrulam scientiam superat, iuxta sententiam divi Dionysii. Unde divus Augustinus (14. *de Civit. Dei cap.* 17) dixit: *Aperti sunt oculi amborum, non ad videndum: nam et antea videbant, sed ad discernendum inter bonum, quod amiserant, et malum, in quod ceciderant. Habet itaque perfecta obedientia, qualis fuit in statu innocentiae, oculos ad videndum, et coeca est ad discernendum: habet autem inobedientia oculos ad discernendum, et indagandum de necessitate praecepti, et coeca est, ad malum, quod ex transgressione praecepti nasciturum erat, contuendum. Utraque videns est circumspecte coeca ad salutem: haec insipienter videns, est temerarie coeca ad suam perditionem.*

Ad extremum, illud permultos sciscitari audio, cum dubium adest, quod praelatus praecipit, peccatum ne sit? quid verus obediens agere debet? huic interrogationi respondet doctissimus Gulielmus Parisiensis (*de virt. cap.* 12.) dicens: *Ubi vero dubitat subditus, an id licitum, aut illicitum sit, quod iubet praelatus, determinatum est, quia debet parere iussis praelati. Causa autem in hoc est, quoniam in huiusmodi dubiis, ad consilium praelatorum recurrendum est, et eidem standum: in hoc enim subditis praepositi sunt praelati, ut in eiusmodi consulant eisdem;* hactenus ille, cuius sententia omnium Theologorum calculo probata est, eamque luculenter docet d. Bernardus (*libro de praecept. et disp. cap.* 12) in haec verba: *Sed homines, inquis, facile falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda, et in percipiendo fallere possunt: sed enim, quid hoc refert tua, qui conscius non es? praesertim cum teneas de Scripturis, quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem ex ore eius requirunt, quia angelus Domini exercituum est? requirunt, dixerim legem, non quam, vel authentica ulla scriptura tradiderit, vel ratio manifesta probaverit: de huiusmodi quippe, nec praeceptor expectandus, nec prohibitor auscultandus est. Sed quod ita latere, aut obscurum esse cognoscitur, ut in dubium venire possit, utrum nam Deus sic aut aliter forte velit; si non de labiis custodientibus scientiam, et ex ore angeli Domini exercituum certum reddatur, a quo denique divina potius consilia requirentur, quam ab illo, cui credita est dispensatio mysteriorum Dei? Ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quae aperte non sunt contra Deum, audire debemus:* cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA X.

In eadem verba Deiparae: quodcumque dixerit vobis, facite, *idem obedientiae argumentum prosequimur: celebriores viros veteris testamenti referentes, qui heroica eius exempla nobis reliquerunt; necnon creaturas alias rationis expertes quae Dei imperio semper parent.*

Antiquissimus Origenes (*libro primo in Iob*) sapienter iustos coelestibus syderibus confert, quae non solum sibi, sed et aliis lucent: *Sicut coeli,* inquit, *luminaria, ac sydera in firmamento coeli a Deo collocata, cunctis indesinenter quae sub coelo sunt, fulgent, atque omnibus, quae super terram sunt, per tempora, ac tempora, per generationes, atque generationes mirabiliter relucent: alia quidem per noctem, ut luna, et stellae, alia nihilominus per diem, ut solis speciosissimi radii; sic et sanctorum virtutum insignia, atque beatissimi eorum agones, omnibus in perpetuum singulariter fulgent, omnibus in aeternum bonorum formam tribuunt, omnibus sub sole pietatis exemplum ostendunt.* Inter sanctos quidem illos legis scriptae, alius fide praefulsit, alius castitate, alius mansuetudine, alius tolerantia, alius fortitudine, alius misericordia enituit; omnes tamen illos, quotquot insignes sanctitate fuere, obedientia mirifice claruisse, et huius virtutis praeclara exempla nobis tribuisse, sacra eloquia contestantur. Iusti Abel promptam ac perfectam obedientiam verba illa (*Genes.* 4) satis indicant: *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum:* cum enim divinum praeceptum esset de muneribus Deo offerendis, ille tanquam verus obediens, pinguiora sui gregis nulla interposita mora, Deo sacravit. Noe praecepit Dominus, ut faceret centenariam ex tempore arcam, in futuro diluvio duraturam, in qua salvaretur genus creaturae rationalis, et irrationalis; ipse neque affectus taedio, neque labore superatus, nec tempore longo devictus, nec dictis haud quaquam incredulus, nec difficultate retractus, perfecit omnino, quod acceperat in mandatis. Dixit Dominus ad Abraham, ut egrederetur de terra sua, et continuo

egressus est. Iussit, ut cum nonaginta annorum esset, circumcideret se, et filium Ismahelem, necnon et servos suos, et confestim obedivit. Similem promptitudinem adhibuit, cum accepto immolandi filium praecepto statim in ipsa nocte surrexit, stravit asinum, et Isaac, et duos famulos secum duxit in montem; nec turpe, aut impossibile ratus est praeceptum, quia divinum esse cognoverat. Isaach a Deo difficilia oracula accepit: cum enim vellet tempore famis descendere in Aegyptum, dicente Domino, mansit in Gerari ad omnem obedientiam dispositus praeceptoris. Iacob in laboribus fuit gravissime obediens voci Domini, omni deposita examinatione praecepti. Ioseph occulto Dei mandato obediens fratres suos apud patrem crimine infectos accusabat, eorum odia parvipendens. Deinde, venundatus, et traditus in Aegyptum, potius voluit carceris tolerare pressuras, et famam pudicitiae perdere, quam divinam legem adulterium prohibentem violare. Unde mandato Domini parens, pallium pro servanda castitate reliquit in manu Aegyptiae lascivae. Moyses divinas iussiones accepit, nihil e regione allegans, nisi propriam vilitatem: nec veritus faciem pessimi Pharaonis, intrepidus divina iussa complevit: mira portenta sola virga patravit, divisum mare transivit cum ceteris. Iussus montem ascendere, loquebatur cum Domino, a quo legem dolatis accepit in tabulis; nihil agens, praeterquam ad imperium Domini. Desertum mansionibus calculavit, castra ponens secundum voluntatem Dei ostensam in signo nubis. Nil impossibile, nil impertinens in divinis edictionibus opponebat: iustum, et facile arbitrans, quod de voluntate summi Domini processisset. Iosue similiter fidelis, et obediens divina non recusavit praecepta, non expavit pericula, quae consueverunt eventus generare bellorum, ad ardua manum mittens, dux novae multitudinis ortae in pugna. In deserto Iordanis, se a suis superioribus, velut in murum firmum, aut parietem immobilem colligentem, ab inferioribus defluentem, Domino praecipiente, cum omni exercitu transivit sicco vestigio: subvertit terras, atque subegit: interfecit reges in deductionem, et deduxit rebelles: promissam terram Israelitis sorte divisit: quod Moyses coepit, ipse perfecit, Domini dictum in nullo cunctatus. Gedeon iuxta praeceptum Domini non existimavit impossibile cum trecentis viris plurimam multitudinem debellare, centum viginti millibus ex hostibus coesis, spoliisque susceptis; in praeceptis Altissimi nihil non adeundum difficile arbitratus, quamvis ex debellandi labore lassus esset: ut sciebat enim Deum simul cum praecepto, agendi virtutem tribuere. Multa fecit Samson praecepto Domini, quo suscepto mente alacri se cum hostibus interfecit: nam si non iussus id praestitisset, de numero fuisset factus homicidarum, nec inter electos eum nominaret Apostolus: hic nec extinctione vitae suae in aliquo tremefactus, expavit, nam nihilo pendit vitam, quietem corporis mortem, qui praecepti virtutem, et bonitatem Domini praecipientis agnovit. Samuel Domino ter vocanti proposita obedientia mentis a lecto surrexit, putans vocari ab Heli magistro suo. David multa oracula suscepit a Domino in laboribus existens a iuventute sua: expugnatus saepe, invicto animo divina iussa complebat, patienter tolerans inimicos, inter quos etiam pertulit, quem genuerat, bellorum caumata, aeque portans secundum cor Domini factus. Ipse denique cum Virgine, divina laudando praecepta, ad ea observanda invitat dicens: *Lex Domini immaculata, convertens animas.* Quis ergo adimplere recuset suis operibus immaculatam, atque irreprehensibilem Domini legem? quis contumax non perficiet ipsam ad Deum ad animas convertentem? a mundo pestifero, et diabolo pessimo avertentem? nulla quippe conversio absque aversione, aversio nulla sine conversione peragitur. Subiungit David cum Virgine matre Domini ad ipsius praecepta nos animante: *Iustitiae Domini rectae laetificantes corda, praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Faciamus igitur, Virgine suadente, quaecunque dixerit, quoniam iusta praecipit, et iustitiae suae sunt mandata, quae ab ipso procedunt. Iustitiae Domini corda nostra laetificant; cordis autem laetitiam omnes quaerunt, sed nulla verior in hac vita, ea quam iustitiae Domini pariunt.

Ad haec dixit Dominus Salomoni, ut templum aedificaret nomini eius, qui nullam recusans solicitudinem, et laborem, in sapientia sibi concessa miro modo complevit; et quamvis deliquerit, pro divinis explendis mandatis alta sancivit, et scripta eius multis dissertionibus, atque sermonibus personant, quae Deipara Virgo uno verbo disseruit, et conclusit, *quodcumque dixerit vobis, facite*, praecepta varia, et laboriosa. Helias accepit a Domino, et sustinentiam famis, quasi profugus in montibus, et cavernis, non veritus facies regum, in paradiso receptus, corpore alacer expectat per sanguinem, atque mortem pro Christo iubente, verus testis, et hostia fieri, quod per obedientiam corda filiorum convertet ad patres, ut non fiant anathemata. Helisaeus factus in duplici spiritu eius, divina non recusavit mandata, nec cor eius propter comminatores reges extrahuit, divinorum dictorum virtutem considerans, sibi omne praeceptum facile videbatur. Prophetam vero voci Domini non obedientem leo interfecit in via, nec sibi pepercit divina iustitia, pro eo quod alias obediverat, in uno tamen delinquens, omnia sint facienda quae iubet: nam absque exceptione Ecclesiae magistra dixit: *quodcumque dixerit vobis, facite.* Isaias requisitus, aut iussus, ultro se obtulit ad divina imperia facienda, uberem illorum factionis praenoscens esse mercedem, et ambulavit nudus, et discalceatus, sicut ei Dominus imperaverat, in signum, atque portentum eorum, quae praedicaverat: nullumque dedecus exhorruit, ut divino praecepto obsecundaret. Superbum sane esse militem quis non videat, qui ad regis edictum opponit opprobrium, vel honorem: aut considerat, qualis in horum altero sit futurus: nam tota subiecti gloria est iussum fecisse mandatum, etiamsi a communibus moribus

singularitate discordet. Ac tandem, nihil dicere, aut facere recusavit obedientiam imponenti, quousque regis furiosi imperio serra lignea sectus interiit, mercedem iustae obedientiae suo tempore recepturus. Hieremias ad primam iussionem Domini ignorantiam suam apposuit dicens: A, a, a, *Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum;* sed ubi primum agnovit Domini voluntatem, a collo suo iugum tarditatis excussit, et vincula, carceres, puteum sustinuit, et catenas, et nulla tristitia obediendi affectus, pagellas scissas, atque combustas iterum reparavit, reprobatus, et lapidatus, imperium Domini est prosecutus, in nullo metam apponens ad obedientiam desuper decernentis. Aspiciebat enim per fidem contemptoribus divinorum mandatorum, quidve factoribus divina iustitia reddat, et quid in lance suae diiudicationis appendat. Ezechiel in multis obediens, a Domino ventilatus, atque probatus est: ut etiam cuilibet audienti horrorem, et nauseam faciat, cum iussus fuerit ter centum nonaginta diebus ad exprobrationem domus Israel dormire super unum latus; et ad exprobrationem domus Iudae dormire inconvertibiliter quadraginta; et panem mixtum comedere opertum stercore, et multa laboriosa patientem nunquam invenimus eum in aliquo reluctantem. Haec perpendens divus Chrysostomus (*lib. 3. de provid.*) haec in eius obedientiae laudem scripsit: *Fame itaque, ac siti pro alienis cruciabatur malis, uxoreque defuncta, eum casum absque lacrymis perferre videbatur. Porro quid gravius dici possit, quam in suis adversis casibus ne flere quidem permitti? omnino dummodo quod super stercus bubalorum panem suum comedere coactus sit, et quod super unum latus tercentum nonaginta diebus iacere, aliaque eiusmodi tolerare, sit iussus.* Daniel etiam talis fuisse perhibetur inter filios transmigrationis, cum omnia divina decreta complevit, ut nec coinquinaretur cibis, regis non veritus imperium: Deum coeli ad Occidentem versus fenestris apertis ad terram proclivus in die tribus vicibus adorabat; et inter leones coniectus, mansit illaesus: et in nullo veritus humanam audaciam. Bel idolum Babyloniorum destruxit, et dracones interfecit, quia nil est formidabile, ubi Dominus urget calcaribus praeceptorum. Osaeas de mandato Domini fornicariam accepit uxorem, et nihil offendit mosaycam legem talia prohibentem, ubi a Domino firmum mandatum acceperat, et opprobria hominum, et susurramenta crudelia penitus non expavit: nec quod a viris in uxoribus abhorretur: nec pudicitiam, quae magis in eis quaeritur, magni pendit: nec turpari timuit conversatione peioris: nihil horum considerans, perfecit mandatum Domini iuxta verbum ipsius. Absit quod opprobrii notam ingerat, ubi mandat, qui Creator est omnium; et omnis impudicitia tollitur, ubi praecipit pudica iustitia: et castum est omne, quod praescribit auctor pudicitiae: et castum est omne, quod praecipit conditor castitatis: et praeceptum novum a veteribus praeceptis absolvit, etiam si eisdem in aliquo videatur adversum; et fidelis exequutio praeceptorum inter pericula tuetur, et ab immunditiis praeservat intactum. Ionas, cum dictum Domini recusaret, pararetque fugam, fecit oriri horrendam in aequorè tempestatem, et forte deprehensum in mare proiectum bellua marina suscepit; et quando non accessit voluntarius, invitus evomitur, ut luce clarius pateat omnibus, sine ultione non fieri transgressionem Domini praeceptorum. Ubi autem Ionas se cognovit divina virtute deductum, quo sponte recusabat accedere, solicite divina iussa complevit, non haesitans praeteriri debere praeceptum, cum fuerit positum. Michaeas persuasioni nunciorum regis non praestavit assensum, ut praeter voluntatem Domini felicitatem futurorum bellorum pro regibus Iuda, et Hierusalem, atque Samariae, cum prophetis mendacibus prophetaret, et exprobratus, alapa caesus est, et captivus detentus, donec eventus bellorum verbis suis certissimam fidem daret. Extat etiam perfectae obedientiae mirabile exemplum in filiis Israel, ut legimus (*lib. Num. cap.* 9): eorum quippe oculi noctu, diuque in columna nubis, et ignis, quae illos ductabat, coniiciebantur: prout enim illa quiescebat, aut locum mutabat, ita illi se illius ductui accommodabant; unde dictum est (*ibid.*): *Ad imperium Domini proficiscebantur, et erigebant tentoria, et ad imperium illius deponebant.* Utinam ita nos ad obediendum vires animi, et corporis applicaremus, ut ductum divinae voluntatis, quae velut columna oculis obversatur, sequeremur: sic enim fieret, ut in obsequiis, non nostrum iudicium, sed divinum spectantes, prompti semper essemus ad id, quod praecipitur sine cunctatione peragendum; ut enim divus Bern. ait (*de praecept. et dispensat.*): *Perfecta obedientia legem nescit, terminis non coarctatur, nec contenta angustiis professionis largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis:* et paulo infra: *Verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, et se totum intus colligit, ut mandatum peragat imperantis;* praecipitur arca Foederis levigatis lignis fieri, sive quadratis: quadratum est, quod parte nulla nutat, sed quocumque proieceris, sine vacillatione consistit; tales sunt iusti: obediunt namque in omnibus (2. *Cor.* 4): *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, maledicimur, et benedicimus:* rursus (2. *Cor.* 6): *Per gloriam, et ignobilitatem, per infamiam, et bonam famam;* dolantur in quadratam formam a summo artifice Deo haec ligna, ut perfectionem obedientiae perferant, aliisque sint exemplo.

Quid plura? non solum homines, sed animantia rationis expertia, immo et quae omni vita, et sensu carent, obedientiae exempla nobis praebent, cum imperio Dei illa omnia obediant. Si coelestes orbium motus consideremus, certe inferiores orbes ad motum primi mobilis moventur: firmamentum secum ducit planetas, contra cursum suum: lunam mare sequitur, fluit, et refluit, agitatur, et regulatur ab astro lunari; animantia quadrupedia regem habent leonem, volatilia aquilam, grues du-

ces sequuntur, elephantes unum suae speciei, apes similiter, oves arietem: venti, et mare obediunt ei: unde de illo dictum est (*Psal.* 103): *Terminum posuisti, quem non transgredientur.*

Hanc creaturarum rationis expertium mirabilem obedientiam Creatori suo sanctus Brunus Carthus. Patriarcha attente perpendens (*libro de ornatu Eccles. cap.* 10) in haec verba prorupit: *Quid igitur dicent monachi inobedientes, et suas voluntates facientes, ac per hoc Deo non placentes, cum tota monachorum religio ab obedientia sit, cum viderint non solum rationales creaturas, sicut angelos, et homines, verum etiam quae sensu, et ratione carent, Domini obedire voluntati?* Atque hunc, quod *coeli enarrant gloriam Dei:* hunc, quod *venti, et mare obediunt ei:* hunc, quod *terra nostra dedit fructum suum:* hunc, quod *omne lignum dat fructum in tempore suo.* Denique hunc quod virga in serpentem, et aqua mutatur in sanguinem, quod mare aperitur, quod petra fundit aquas, quod manna pluit, quod asina loquitur, quod Iordanis convertitur retrorsum, quod iubente homine sol non movetur: cuncta haec obedientia facit. Sunt et alia huiuscemodi innumerabilia, quae in divinis voluminibus inveniri, et colligi possunt; praesertim qui novi testamenti paginas legerit, ibi cognoscet quantum obedientia possit: ibi videbit ad hominis imperium daemonia fugari, mortuos resurgere, elementa mutari, leprosos mundari, coecos illuminari, paralyticos curari: sed quid multa? ibi videbit nihil Deum posse, nec naturam contra illius voluntatem, qui creavit ipsam naturam. Sed o miseria semper lugenda, et magis lacrymis, quam verbis semper deploranda. Omnis creatura est obediens Deo, praeter illam, quae facta est ad imaginem Dei: solus diabolus, et homo inobediens invenitur, cum nulla alia creatura praeter illos inobediens inveniatur, et contumax Deo, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XI.

In illa eadem verba Deiparae Virginis: quodcunque dixerit vobis, facite, *de servandis Ecclesiasticis caeremoniis sermonem instituimus.*

Si angelicum doctorem sanctum Thomam (1. 2. *quaest.* 99. *art.* 3.) consulamus, inveniemus, caeremonias nihil aliud esse, ut ibidem docet, quam opera exteriora ad Dei cultum pertinentia; et ut auctor est Valerius Maximus, a Cere oppido dicta sunt, quia ibi fuerunt inventae. Et nos eas partim a natura ipsa magistra emanatas, partim a Deo, eiusque Ecclesia profectas non ignoramus, ideoque summo in pretio habendas. Quod ex vario earum fructu colligi evidenter poterit, neque enim in caeremoniis perfectionem constituimus, sed ad perfectam divinae voluntatis observantiam eas valde conducere asserimus: ut enim saepes hortum circumvallat, et fructus custodit, ita caeremoniae devotionem, animosque in Deum inclinatos muniunt, et conservant: tepidiores excitant, et ad divina mysteria indaganda commovent. Non secus ac olim posteri filiorum Israel, videntes lapides, quos e Iordanis fundo asportarant iussu Dei eorum parentes, curiosius de miraculis a Deo patratis inquirebant, et eo magis in illius dilectionem ferebantur. Naevus, quem mulier formosa in facie habet, eam reddit pulchriorem: condimentum cibum reddit sapidum; cum tamen per se nullius aliquando sit momenti, folia licet non ferant fructus, eos tamen protegunt, et arborem exornant. Arundines, sive perticae in vineis non ferunt uvas, sed sustinent. Cortex arborem tegit, et conservat, fructus non profert. Sic etiam caeremoniae, quamvis essentia christianae religionis in iis non consistat, exornant tamen, et conservant eius mysteria, et ad egregium christianae vitae ornamentum plurimum conducunt. Quod ergo sal carnibus, cortex arboribus, gladio vaginae, folia fructibus, saepes hortis, illud sunt caeremoniae religioni: declarant enim non modo illam, sed et fovent, nutriunt, augent, et confirmant. Unde beatus Augustinus (*contra Faust. lib.* 9) merito scripsit: *Absque externis caeremoniis impossibile esse servare religionem.*

Altera utilitas est quod caeremoniae rudibus, et imperitis vicem subeunt imaginis, et vivae picturae: plerumque enim ex caeremoniis mysteriorum agnoscimus dignitatem, et naturam, quae alias difficiliter probaretur. Ita beatus Augustinus (*lib.* 1. *de pecc. merit. et remiss.*) probat necessario confitendum peccatum originale, esto quod nullum Scripturae testimonium suppeditaretur, ex eo solum, quod parvuli exorcizantur, et insufflantur, antequam baptismum suscipiant; et iubentur per ora gestantium renunciare diabolo, et eius pompis. Si enim nulli peccato essent obnoxii, non dominaretur eorum diabolus, nec ipsi indigerent ea renunciatione, et insufflatione.

Tertia est, quod caeremoniae sunt velut simbola militaria, quibus discernuntur castra sanctorum, et fidelium ab aliis. Cuius rei typum habemus ex lege vetere. Praeceperat quippe Deus, ut non solum agnus tinctus immolaretur, sed ipsius sanguine postes, et superliminaria linirentur: *Transibit enim Dominus*, inquit, *et percutiet Aegyptios, cumque viderit sanguinem in superliminari, et utroque poste, transcendet ostium domus, et non sinet percussorem ingredi domos vestras, et laedere.* Ecce tesseram divinae amicitiae. Idem repraesentavit funiculus coccineus in fenestra Raab meretricis, cuius conspectus domum eius ab internecione conservabat: occupante Iosue urbem Iericho: *Dixerant enim, qui missi fuerant exploratores; quousque Raab meretrix absconderit se a facie regis; innoxii erimus a iuramento hoc, quo adiurasti nos, si ingredientibus nobis terram signum fuerit funiculus iste coccineus, et ligaveris eum in fenestra, per quam dimisisti nos.*

Et hinc quarta utilitas emanat, quod caeremoniae Dei memoriam, et amorem in nobis

alias sopitum excitent, et bene operandi ansam subministrent: nec non mole corporis pressis ad somnolenti animi excitationem mirum in modum commovent, et ad eum modum, quo generosus equus itinere iam longo fatigatus, ubi primum classicum personuit, in robur erigitur; ita noster animus excitatur. Et sicut elephantus, igne ostenso, in audaciam exurgit; ita virtus nostra enervata rebus saecularibus, exterioribus incitabulis, seu vocum, seu figurarum, seu rerum aliarum indiget, ut animi nostri vigor spirituali operi robustius instet, et contemplatio nostra tanto acrius in sublime provehatur; et in hoc potissima caeremoniarum ratio consistit. Ideoque in veteri testamento palmas tetenderunt, brachia expanderunt, genua reclinarunt, vaccam triennem, turturem, et columbam per medium diviserunt, Tau signum super aedium postes, et frontem notarunt, serpentem aeneum aspexerunt: licet pleraque eorum non nisi umbrae, et futurorum imagines fuerint, iamque sublata sint. Sed et superstitiosa Deorum cultrix antiquitas usque adeo caeremoniarum cultum aestimavit, ut Metellus Pont. Max. passus non fuerit, Postumium consulem in Africam ad bellum gerendum proficisci, nisi sacris peractis: non enim se tuto ille martio certamini commissurus videbatur, si non caeremonias Martis observasset, ut testis est Valerius Maximus (*cap. de Relig.*). In nova etiam lege manus lavamus, genua coram Deo procidentes flectimus, cereos accendimus, thus cremamus, cruce frontem signamus, et alia facimus, quae pie ab Ecclesia, quae Spiritu sancto gubernatur, tanquam devotionis, cultusque adminicula, instituta, et decreta, vel certe inveterato usu firmata sunt, ut vel hac ratione animi nostri somnolentiam excutiamus.

Adde quod Deo gratissimus est caeremoniarum usus, ut qui eas toties commendaverit, et servandas praeceperit: ita enim per Ezechielem (*c.*46) loquitur: *Pone cor tuum, et vide oculis tuis, et auribus tuis audi: non enim videre, et audire sufficit, sed animum dirigere oportet de universis caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus eius.* Manus sursum extendente Moyse vincebat Israel, dimittente vincebatur. Muri Iericho corruerunt, dum clangentibus buccinis arca Domini circumcirca asportabatur. Christus ipse sanans surdum, et mutum, item coecum a nativitate, caeremoniis sputi, salivae insufflationibus, et aliis quibusdam usus est. In horto orans procedit in faciem, neque alia intentione caeremonias adhibent Christiani, quam quod Deo gratas cognoscant. Theodosius Magnus signa cum Eugenio tyranno collaturus, dum moneretur hostilium copiarum numerum suas copias excedere: absit, inquiebat, praelium ob id differamus: exercitum meum crux praeit, illius copias Hercules ducit. Ita dixit, et in hostem irruens, memorabilem victoriam reportavit. Quantum vero Deo displiceat caeremoniarum sacrarum contemptus, uno, aut altero exemplo demonstrabimus. Narratur de haeretico quodam, quod dum sacros cineres, cum non esset eorum minister, alteri per iocum capiti imponeret, subito ipsorum cinerum pulvere praefocatus occubuerit. In historia tripartita scribitur, Thymelicum Comaedium vestem sacram induisse, eaque in proscaenium, veluti nostra aetate frequentius factitant haeretici, accurrisse, subitoque divinitus percussum interiisse, quod eam in religionis contumeliam assumpsisset.

Sed notandum in sacris literis semper coniungi caeremonias cum lege, ut nemo existimet se religionem servare, qui solas caeremonias sectatur, et ipsa interim religionis, legisque divinae sanctionibus intemperanter abutitur. Ut enim struthio pennas habet, sed in sublime non fertur, sic multi pennis caeremoniarum in coelum usque ferri videntur, illis autem nunquam a terrenis elevantur ad divina. Caeremoniae igitur, nisi cum virtute coniungantur, laudabiles parum videntur: certe ut virga recta, cum est in manu iudicis, signum est iustitiae rectae; ita rectae caeremoniae signa sunt rectae religionis: et veluti Iudex vituperio dignus est, qui cum sit alioquin iniquus, totam dignitatem suam in virgae rectitudine constituit, cum conscientiam habeat obliquam; sic certe improbandus est, qui caeremoniarum specie gloriatur ab eis non recedens, cum intus omni scelerum intemperie inquinetur. Tales vocat Dominus plenos omni spurcitia, quia nullam solidae religionis, aut virtutis substantiam teneant: umbra dumtaxat, et signis quibusdam contenti. Virtutes sunt cibus animi, quibus alitur homo ad aeternitatem: caeremoniae folia tantum conferentia ad salutarem medicinam. Dionysius Areopagita (*de coel. Hier.*) ait: *Divina manifestari hominibus sub aliquibus similitudinibus sensui se obiicientibus, atque animum ad intellectum elevantibus.* Cum autem caeremoniae obiiciuntur oculis, monet animum ad Dei obsequium, quod exterioribus profitentur. At si fuerint hae a charitate seiunctae, et solum specie sanctitatis, scelera obvolvent, non modo nihil proficiunt ad gloriam, sed aeternas poenas machinantur. Talis erat olim Pharisaeorum eo tempore politicorum iustitia in ostentatione consistens, non in propositi rectitudine. Folia tantum habent, sed omni integritatis fructu destituti sunt; nomen virtutis usurpant; quantum vero ipsa valeat, scire, aut intelligere negligunt. Quod intuens Salvator (*Matth.*5): *Nisi*, inquit, *abundaverit iustitia vestra plusquam Scribarum, et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum*, ad quod nos ipse perducere dignetur, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.